

CAPVT IX.  
TITVLI MILITARES

(Addenda ad vol. I p. 389—567 N. 1986—3914).

Constitutiones imperatorum de civitate et conubio veteranorum.  
(Diplomata militaria.)

9052 imp. Caesar Vespasianus Augustus pontifex maximus tribunic. potestat. VIII<sup>1</sup>, imp. XVIII<sup>2</sup>, p. p., censor, cos. VIII design. VIII, equitibus et peditibus, qui militant in alis sex<sup>3</sup> Noricorum<sup>4</sup> et singularium<sup>5</sup> et Moesica<sup>6</sup> et Afrorum veterana<sup>7</sup> et Siliana<sup>8</sup> et Sulpicia<sup>9</sup> et cohorte I Flavia Hispanorum<sup>10</sup>, quae sunt in Germania<sup>11</sup> sub Q. Iulio Cordino Rutilio Gallico<sup>12</sup>, qui quina et vicena stipendia aut plura meruerant, quorum nomina subscripta sunt: ipsis liberis posterisque eorum civitatem dedit et conubium cum uxoribus, quas tunc habuissent cum est civitas iis data, aut si qui caelibes essent, cum iis quas postea duxissent dumtaxat singuli singulas. A. d. XVII k. Majas D. Novio Prisco L. Ceionio Commodo cos.<sup>13</sup>

alae Moesicae, cui praest T. Staberius T. f. Qui. Secundus<sup>14</sup>, gregali: Tertio Marci f. Trevir.

Descriptum et recognitum ex tabula aenea quae fixa est Romae in Capitolio post casam Romuli<sup>15</sup>. A. Titini Iusti — C. Alfi Prisci — Q. Lolli Pietatis — M<sup>16</sup>. Egnati Celeris — L. Aureli Potiti — L. Turrani Maximi — P. Atini Rufi<sup>17</sup>.

*Tabellae duae aeneae, quae diptychon effecerant, rep. ut dicitur prope Mogontiacum, ubi servantur in museo (v. Domaszewski 'Alterthümer unsrer heidn. Vorzeit' vol. V tab. 33 cum commentario p. 181; cf. etiam Ritterling Westd. Korr.-Bl. 1906 p. 20). Est diploma civitatis Romanae equitis alicuius Treverensis, missi honesta missione a. 78 p. Chr. Ut in reliquis plerisque diptychis huius generis, constitutio imperatoris perscripta erat in paginis duabus interioribus, repetita in paginarum exteriorum altera; altera reservata nominibus testium (vide vol. I p. 391. 392). — 1) A. 77/78 (d. 15. Apr. 78, cf. infra not. 13). — 2) Undevicesimum imperator appellatus Vespasianus hoc ipso nono tribuniciae potestatis anno, cf. supra N. 253. — 3) Alae hae notae omnes; atque de plerisque earum (scilicet de omnibus excepta Siliana, cf. not. 8) constabat, eas aliquando letendisse in Germania inferiore. — 4) Cf. supra N. 2512. 2523, infra N. 9270. — 5) Cf. Tac. hist. 4, 70; Cichorius ap. Pauly-Wissowa I 1261. — 6) Cf. supra N. 1394. 2729 (cum not. 3). — 7) Cf. supra N. 2508. — 8) De ala Siliana cf. infra N. 9139. Eam ali-*